

auspicia feliciter gestis, Patri occurrit, duplicique victoria Pater & filius Imperium recrearunt. Inde conjunctis armis, attractisque Saxonice copijs, tertium inchoatum est bellum adversus Luttizios Slavos, qui & Wilfi, & Velatabi dicuntur apud Helmoldum & alios, interque Albim & Oderam incolere. Nota gens, cui cum Redarijs quibusdam longa bella fuerunt: olim, ut Wippo presbyter scribit, Semichristiani, post ad Idololatram relapsi, paganis ritibus vivebant; eoque per id tempus multa inter Saxones & paganos dissidia, prædæ, incursationes. Jam postquam Imperator ad Albim pervenit cum exercitu, coepit quærere Utri pacem primò violassent. Saxones ruptæ pacis culpam in Slavos rejecere: contra Sclavi in Saxones; cumque litigando neutra pars alteri cederet, Sclavi duello rem decidi postulant à Cæsare: nec id detrectant Saxones. Igitur duo pugiles in medium profiliunt, alter Sclavus conscientia veritatis innixus, alter Saxo confusus christiana sua religione. Verùm quòd malam causam sub patrociniò bonæ religionis susciperet, in congressu multis vulneribus confossus cecidit. *Bona, inquit Wippo presbyter, in christiano fides, sed quæ bonis operibus destituta erat.* His in tantam audaciam inflammati Slavi, ut mox ad arma provolarent, obtruncaturi Saxones; sed cohibuit furentes Imperatoris auctoritas. Ita diremptis partibus Imperator Werbinam castrum præmuniri jussit, impositoque præsidio militari, omnes Saxoniam Principes Sacramento obstrinxit ad Sclavorum incursiones prohibendas, limitesque custodiendos. Inde Imperator per Saxoniam in Franciam redijt, visurus, quid parte illa barbari molituri. Quippe æquissimus Imperator, cum ruptæ pacis culpam penes Saxones esse intelligeret, pacta inter ipsos integra manere voluit, dum alia injuria belli daretur: præclaro ad posteros documento, fidem etiam Barbaris, quod juris gentium est, servandam esse. Hunc in modum Helmoldus quoque, quod & supra retulimus, magnam culpæ partem rejecit in ipsos Saxones: *Quippe eo tempore, inquit, ex quo Conradus Imperator Henrici Successor W inithos præliis attrivit, pax firma aliquamdiu fuit in Sclavia. Veruntamen christiana religio, et cultus domus Dei, parvum recepit incrementum, præpediente avaritia Ducis et Saxonum, qui omnia corradentes, nec Ecclesijs, nec Sacerdotibus quidquam passi sunt esse residui.*

Inter hæc Meinwercus hoc anno omnia ad fabricam novæ Basilicæ, Collegijque Bustorffiani comparavit; eoque impensius, quòd senio ad extrema vitæ se urgeri animadverteret. Et verò quia per id tempus Wino Helmwardeshufanus Abbas, à Meinwercò in Palæstinam missus, redierat Hierosolymis, secumque templi Hierosolymitani descriptionem cum reliquijs retulerat, Meinwercus ad id exemplar Basilicam D. Virgini Genitrici, Apostolisque Petro & Andrea extra urbis mœnia in Orientali parte construere coepit; additum-

Rrr

que

Slavos
inter &
Saxones
pacem
firmat.

Helmold.
lib. 1. c. 2.
Bangertus
in notis.

Helmoldus
lib. 1. c. 19.

Mein-
wercus
Bustorffi-
anum
Collegi-
um per-
ficit.